celebrarunt, Decreta ediderunt, severa judicia juxta rigorem Canonum exercuerunt, late grassantem, & omnia devastantem Simoniam ab Ecclesia procul depulerunt, Cathedras & Sacerdotia sine respectu personarum sacrilegis emptoribus, venditoribusque abstulerunt, & reos contumaciæ, atque convictos sacrilegæ nundinationis è contubernio fidelium extruserunt. Inter illos Summos Pontifices, qui reformandis fidelium moribus sæculo Ecclesiæ undecimo strenue allaborarunt, Principem locum obtinet *Gregorius VII.* qui in morum disciplina nihil novi, nihil peregrini, nihil propria adinventione statuendum esse, sed tritam, regiamque Sanctorum Patrum viam sectandam esse docet his verbis: *Videntes ordinem Christianæ Religionis multis jam labefactatum temporibus, & principales ac proprias lucrandarum animarum causas diu prolapsas, & suadente diabolo conculcatas; concussi periculo & manifesta perditione Dominici gregis, ad Sanctorum Patrum Decreta Doctrinamque recurrimus, nihil novi, nihil adinventione nostra statuentes; sed primam & unicam Ecclesiasticæ disciplinæ regulam, & tritam Sanctorum viam, relicto errore, repetendam & sectandam esse censuimus. Neque enim alium nostræ salutis & æternæ vitæ introitum Christi ovibus, eorumque Pastoribus patere cognoscimus, nisi quem ab ipso monstratum, qui dixit: Ego sum Ostium, per me si quis introierit, salvabitur, & pascua inveniet: & ab Apostolis prædicatum, & à Sanctis Patribus observatum in Evangelica, & in omni divinarum Scripturarum pagina didicimus.* Hoc Sanctissimi Pontificis Oraculum utinam sæpius expenderent, ac semper executioni mandarent Doctores hujus sæculi! Multas ad reformandos sui sæculi mores leges tulit *Gregorius VII.* quibus in Clericos Ecclesiæ castitatem pravis facinoribus & flagitiosa vitæ consuetudine deturpantes gravissimis pœnis animadvertit, & omnium Christianorum mores ad Sacræ Scripturæ auctoritatem, ad Sanctorum Patrum doctrinæ normam, ad sacrorum Canonum rigorem exigi ac componi oportere sanxit. Extiterunt etiam undecimo sæculo Episcopi, qui amore boni, & morum disciplinæ studio accensi, lolium in agrum Domini improborum hominum manibus injectum tollere, Clericorum vitam castigare, atque bonos mores Decretis & Synodis revocare pro viribus studuerunt. Morales Casuum resolutiones ex primitivorum Ecclesiæ Patrum doctrina hauserunt tam Scriptores, quam Confessarii undecimi sæculi, quia sicut aquæ in fonte puriores sunt, ita incorruptus, sive de Dogmatibus, sive de moribus sensus in Sanctis primitivæ Ecclesiæ Doctoribus limpidius apparet, cum nullis sit novitatum nebulis, nullis laxitatis tenebris infuscatus. Denique, undecimo sæculo in hanc sententiam, tanquam certissimam, Patres, Concilia, Doctores omnes consentiebant, peccatoribus consuetudinariis procrastinandam esse Absolutionem, Pœnitentiam juxta delictorum gravitatem esse imponendam, præviam Eucharistiæ satisfactionem veram, constantem, fortem esse debere, non segnem & somnolentam ac iteratis lapsibus obnoxiam. Hanc undecimi sæculi pœnitentiæ imponendæ, & Eucharistiæ suscipiendæ praxim non solum laudat & observandam præcipit S. Carolus Borromæus avitæ disciplinæ Ecclesiasticæ studiosissimus, sed etiam illius fructum ipsa experientia sese didicisse testatur antiquus & pius Pater Soc. JESU, *Emericus de Bonis* in libello Italico, cui titulus est: *Trattato del Santissimo Sagramento dell' Altare*, Romæ excuso anno [illegible]. ubi hæc habet: *Utilissimum remedium est adversus iteratos lapsus, multisque probatum experimentis, absolutionem peccatoribus differre, ut se aliqua pœnitentia ad communionem comparent. Varia igitur pœnitentiæ officia ipsis imponenda sunt, quibus ad cognitionem, dolorem, & detestationem peccatorum perducantur: hoc autem nisi fiat, peccatores statim ad vomitum redeunt. Hoc Institutum multis peccatoribus profuisse testantur graves, & prudentes Religiosi. --- Si Confessarii majorem severitatem adhiberent, multo major, frequentiorque pravorum hominum emendatio consequeretur; nam iisdem semper criminibus obnoxios homines cernimus, neque subinde, ut faciunt, Confessarios mutarent, ut aliquem tandem inveniant mollem facilemque, qui leves imponat pœnas, qui sinat, quoties libuerit, etiam moribus immutatis, ad Eucharisticam mensam accedere, quem deinde inventum tanquam peritissimum prædicant. Cæteros, qui perversorum morum, institutorumque mutationem exigunt, tanquam incommodos, scrupulosos, humanæque fragilitati nimium duros reprobant. Sed miseri illi animarum Rectores non cernunt, pravos homines in vitiis suis propterea sua indulgentia detineri, atque in pristina peccata relabi &c.* Hactenus *Emericus de Bonis*, cujus verba ex Italico idiomate in Latinum accurate reddidi, ut inde intelligeres, quam perperam nonnulli hanc praxim in administratione Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ, quæ sæculo undecimo & in aliis præcedentibus Ecclesiæ sæculis viguit, seu perniciosam, & certam ad desperationem viam, hodie infamare præsumunt, cùm potius toti retro antiquitati, sacris Conciliorum Canonibus, & doctrinæ Sanctorum Patrum apprime consentanea sit, ut videre est in libro *de frequenti Communione*, quem, præter sexdecim Episcopos & viginti Doctores, Conventus etiam Episcoporum Auscensis Provinciæ in Gallia anno MDCXLV. inusitato honore populo Christiano commendavit.

D. Cum antiquitas, Patrumque consensio vera sit amussis, ad quam non solum fidem, sed & doctrinam morum exigere debemus, optandum sane est, ut omnes animarum Doctores sectentur documenta *S. Caroli*, quæ nuperrime legebam in Concilio quarto Mediolanensi, ab ipso pro reformatione morum edito, sic animarum Rectores ad Præceptorum Ecclesiasticorum observantiam, ac castæ veteris Disciplinæ custodiam adhortatur: *An forte tasse à curatione nostra deterremur, quia aliqui Provinciæ sanandæ studio exulcerantur quorundam animi passim dictitantium: non ferunt hæc tempora veterum Canonum & antiquæ Ecclesiæ medicamenta? immò ardentius progrediamur, quia hæc una medicina præstantissima est, maximè opportunum id remedium, ut quibus olim rationibus Disciplina Christiana sata & propagata fuit, iisdem ipsis instauretur & conservetur.*

HISTORIA
ECCLESIASTICA
Duodecimi Sæculi,
Variis Colloquiis digesta.
TOM. IV. PARS II.

INDEX
COLLOQUIORUM,

COLLOQUIUM I.

Quo loco essent res Ecclesiæ tam in Oriente, quàm in Occidente sub Imperatoribus, & Principibus Christianis? Pag. 90.

COLLOQUIUM II.

In quo texitur series Episcoporum, qui duodecimo Sæculo præcipuas Sedes tenuerunt. 103.

COLLOQUIUM III.

De Hæresibus, quæ duodecimo Sæculo Ecclesiam infestârunt. 118.

COLLOQUIUM IV.

De Conciliis, cùm Generalibus, tùm Nationalibus quæ duodecimo Ecclesiæ Sæculo sive ad damnandas exortas hæreses, sive ad componendas enatas controversias, & collapsam restaurandam Ecclesiæ Disciplinam variis in locis fuerunt celebrata. 132.

COLLOQUIUM V.

De Viris Illustribus, qui eruditionis & pietatis laude duodecimo Ecclesiæ Sæculo claruerunt. 148.

COLLOQUIUM VI.

De Doctrina, & Disciplina cùm Ecclesiastica, tum Monastica, & de Ethica Christiana duodecimi Ecclesiæ Sæculi. 164.

PROLEGOMENON.

Historia duodecimi Ecclesiæ Sæculi varios ac percelebres complectitur eventus. Plures expeditiones ex omni ferme Occidente in terram Sanctam pro bello sacro contra Turcas per totum hoc sæculum decernuntur, vario quidem successu, sed tandem infelici exitu. Occasione juris *Investituræ* nova exoritur turbarum seges, disrumpitur concordia Sacerdotii, & Imperii, Ecclesia Romana multis schismatibus diu exagitatur, Summi Pontifices cum Imperatoribus, Episcopi cum Regibus in tutandis ac vindicandis Ecclesiæ juribus & privilegiis acre ac diuturnum sustinent bellum; Anglia sese turpissimè fœdat injustâ nece *S. Thomæ* Cantuariensis Archiepiscopi, Jurium & Immunitatum Ecclesiæ acerrimi vindicis, qui à sicariis ad ipsam Aram intrepidus trucidatur. Complures hæreses ex orco prodeuntes sacrilegum caput efferunt, quæ in Conciliis configuntur, & perdoctis clarissimorum Scriptorum Operibus proteruntur. Sanctissimæ conduntur leges, quibus Disciplina Ecclesiast. morum doctrinæ integritas farta tecta conservatur. Novis Monachorum, ac Religiosorum Ordinibus munitur, ac illustratur Ecclesia. Denique, sæculo Ecclesiæ duodecimo Theologia Scholastica novâ methodo traditur, ac juris Canonici instituitur professio, quæ posteà latissimè propagatur. Hæc est summa rerum, quæ sæculo Ecclesiæ duodecimo contigerunt. Sed ut ampliorem, omnique ex parte accuratam omnium illorum eventuum notitiam tibi suppeditare possim, sex Colloquia, juxta præscriptam, & hactenus observatam methodum instituam, & singula quæque loco & ordine suo aptè collocare pro viribus studebo. In primo Colloquio ostendam, quo loco essent res Ecclesiæ tam in Oriente, quàm in Occidente sub Imperatoribus & Principibus Christianis. In altero exhibebo seriem Episcoporum, qui præcipuas Ecclesiæ sedes duodecimo sæculo tenuerunt. In tertio referam hæreses, quæ eodem sæculo Ecclesiam infestârunt. In quarto agam de Conciliis, quæ tum ad damnandas gliscentes hæreses, tùm ad consopiendas enatas Controversias, tùm ad collapsam restaurandam Ecclesiæ disciplinam variis in locis fuerunt celebrata. Quintum erit de Viris Illustribus, qui duodecimo sæculo eruditionis & pietatis laude claruerunt. In ultimo de his, quæ spectant Fidei Catholicæ Doctrinam, Disciplinam cùm Ecclesiasticam, tùm Monasticam illius sæculi, Morumque doctrinam, breviter strictimque disseram.